



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

Cap. I. An Societas per modum monarchiæ gubernetur conuenienter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)



LIBER DECIMVS.

De regimine Societatis, & consequenter de Prælati eius.



Explicitum omnia, quæ ad statum, perfectionem, & ministeria huius religionis spectant, solum superest vt dicamus de modo gubernationis eius: nam ex illa maxime pendet, & conseruatio religionis, & executio omnium mediocum, quibus ad suam, & aliorum perfectionem vti debet. Quoniam autem gubernatio per Prælatos, & secundum regulam fit, simul de vtrisque hoc in libro dicemus; primo quidem generatim, seu in communi; deinde vero ad illa particularia descendendo, quæ ad huius tractatus complementum necessaria videbuntur.

CAPVT I.

Virum Societas per modum monarchiæ conuenienter gubernetur.

I. *Suppositio, monarchia cum Aristocratiâ in Societate.*
Suppono in primis hoc esse commune Societati cum aliis religionibus ferè omnibus, vt eius ordinarium regimen monarchicum sit, habens aliquid Aristocratiæ admixtum; nam & monarchicum regimen secundum se melius est, & in hominibus propter eorum fragilitatem, & periculum errandi, vel iniudicio, vel in affectu, aliquo adminiculo Aristocratiæ oportet esse temperatum, vt est tam Philosophorum moralium, quam Theologorum recepta sententia, quam in tract. 3. attigi, & latius in materia de legibus lib. 3. cap. 4. & de Ecclesiastica hierarchia tradi solet, atque disp. 9. de fide sect. 6. à n. 8.

II. *Suppositio, varietas Prælatorum ipsius Societatis.*
Secundo suppono monarchiam huius religionis reduci ad vnum generalem Præpositum, sub quo tota religio militat, quæ vt illi coniuncta, soli Summo Potestati in spiritualibus ordinariè subiecta est. Hoc satis constat ex prima institutione & approbatione Societatis in Bullis Paul. III. & Iulij III. & ex Const. præsertim p. 9. sub hoc autem Generali immediatè constituuntur Præpositi Prouinciales, & sub Prouinciali, singulorum locorum superiores, sicut citato tract. 8. declarauimus, nam in his conuenit hæc religio cum aliis: quia moraliter necessaria sunt in quacunque religione, quæ cum sit vnum politicum corpus per vniuersum orbem simul cum Ecclesia catholica diffunditur, habetque membra secundum locorum diuersitatem valde distantia. Vnde sit primò membra hæc ratione vnitatis, quæ inter se habent, indigere vno capite, quod in omnia influat, & vniuersali bono totius corporis prouideat, & singulis membris in aliorum vtilitatem vti possit: & hoc est Generalis munus, vt copiose & prudenter satis tradit S. P. Ignatius in 9. p. Const. à principio. Ratione verò distantie, & extensionis, & alicuius diuersitatis, quam necessario inter se habet variegatae regionis, seu nationes, necesse est sub Generali Prouinciales constituantur, quorum singuli suas prouincias proximè administrent, & regant. Quoniam vero in vnaquaque Prouincia varia sunt loca, domos, vel collegia Societatis habentia, neces-

Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

sarium erat, vt vnicuique loco aliquis præsit, sit Rector, siue Præpositus appelletur. Vnde etiam ne secundo hos omnes ordinariam, & spirituales iurisdictionem habere: vnumquemque iuxta modum sibi cõcessum, suoque muneri accommodatum: nã sine iurisdictione administrari non potest, vt ex generali doctrina de statu religionis constat. & c. 4. n. 1. attingitur. Quanta vero sit hæc iurdictio in singulis numeratis superioribus iuxta peculiare modum huius religionis, ex discursu huius libri constabit. Denique colligitur ex dictis, omnes prædictos Societatis superiores esse Prælatos Ecclesiasticos cum omni proprietate & rigore. Habent enim animarum curam cum iurisdictione Ecclesiastica fori contentiosi ordinaria, seu ex vi muneris; quæ duo tantum sunt necessaria ad huiusmodi praelationem, vt in superioribus visum est, & attingemus c. 4. viderique possunt Sotus l. 7. de iust. q. 4. art. 3. Nauar. conf. 23. de Priuileg. & comm. 3. de Regular. n. 4. D. Th. 2. 2. q. 33. ar. 7. ad 5.

Tertio suppono, Aristocraticum regimen multis modis participari à Societate. Primo in hoc quod suas habet congregationes generales, quæ licet non habeant certa, ac definita tempora, opportunis tamè occasionibus non sunt omittendæ. Primo quidem, ac necessario, cum in defectu Generalis morui, vel priuati, aut priuandi suo officio quacunque ex causa, alius eligendus est. Deinde quando alia causa grauis occurrit ex his, quæ numerantur 8. p. Const. c. 2. Ad huiusmodi autem congregationem pertinet propriè, & in omni rigore Aristocraticum regimen, nam in illa qui congregantur habent suffragium decisiuum, & quamdiu illa durat, in ea est suprema potestas totius Societatis, etiam supra ipsum Generalem, vt declaratur p. 10. Const. §. 8. & 9. p. c. 3. 4. 5. & 6. à quo autem cõuocanda sit huiusmodi congregatio, & qui sint ad eam vocandi, & quomodo, quæve negotia in ea tractanda, ac definienda sint, tractatur late in 8. p. Const. & nonnulla attinguntur in 9. & 10. & specialius in peculiari forma generalis Congregationis.

Secundo participatur hoc regimen in alio genere congregationum, quæ licet ex vniuersa Societate cogantur, nõ sunt tamè generales, quia ad illas, nec Prouinciales, nec plures suffragium habentes ex singulis prouinciis cõueniunt, sed solum singuli ex singulis prouinciis nomine earum, & tanquam earum Procuratores missi, & ideo congregatio Procuratorum, hæc appellatur, habetq; fundamentum in 8. p. Const. c. 2. in declaratione lit. B. eiusque forma magis declarata est in 2. Congregatione generali c. 29. & in speciali formula de hoc edita in 5. congregatione generali; pertinet autem ad hanc congregationem em primo, ac præcipuè decernere, an congregatio generalis cogenda sit, necne: & in hoc habent cõgregati suffragium decisiuum. In reliquis autem negotiis, quæ in ea tractari possunt, ex vi instituti, & cõstitutionum, solum habent consultiuum, vt ex eodem c. 2. 8. partis constitutionum colligitur.

Tertio participat Societas hoc regimen, per Cõ-

III.

Primum modum in quo visitur Aristocratiâ in Societate per congregationes generales.

IV.

Secundum modum per congregationes.

V.

grega-

Tertius per
congr. pro-
uincialis.

Bregationes provinciales, quæ in singulis provin-
ciis, quolibet triennio fieri debent, earumque finis
est, ad eligendâ personam, quæ nomine totius provin-
ciæ Præpositum Generalem adeat, & in cōgre-
gatione Procuratorum suffragium habeat. Huius
ergo Procuratoris electio fit in congregatione provin-
ciali, & solum in ea electione habent votū deci-
sivum qui in huiusmodi congregatione suffragium
habent. Fit etiam hæc congregatio in singulis provin-
ciis, quotiescunque totius Societatis Generalis
congregatio cogenda est: nam in illa provincia e-
ligendi sunt, qui cum Provinciali suffragium habi-
turi sunt in congregatione generali, & in eorum e-
lectione habent propriam vocem actiuam omnes
qui legitime ad congregationem provincialem cō-
ueniunt. Porro quinam, & quot conuenire debeant
ad hanc provincie congregationem, qui etiam vocē
passiuam in ea habeant, in formula eiusdem con-
gregationis c. 3. traditur. Et in 5. congreg. decret. 60.
& 81. cōtractus fuit numerus qui in const. p. 8. c. 3. in-
definituserat. Præter has verò electiones nulla lex
vel statutū fieri potest in congregatione provincia-
li, neq; in aliqua ordinatione faciendâ votum deci-
sivum habent, qui ad eam conueniunt, sed solum
cōsultare possunt de rebus necessariis, vel opportu-
nis, vt in congregatione generali, si illa cogenda sit,
decernantur, vel si non cogenda, Præposito genera-
li proponantur. Quæ omnia constant ex 3. p. Const.
c. 2. 3. & 5. & p. 9. c. 5. §. 4. & 2. congregatione generali,
c. 29. & ex speciali formula congregationis provin-
cialis, in quibus locis fusc etiam declaratur qui sint
ad hanc cōgregationem vocandi, & à quo indicēda
sit, & quis procedendi modus in illa sit seruandus.

VI.
Quænam per
consilium

Quartò participat Societas regimen Aristocraticum
in multitudine Prælatorum per quos gubernatur
sub vno supremo generali, vt sunt Provinciales,
& locales Præpositi, qui totum gubernationis
pondus inter se habent distributum: nam hoc etiā
pertinere ad participationem Aristocratiae infra n.
11. declarabo. Perficitur autem hæc participatio in
consiliis, quæ ad res statuendas, atque ordinandas
simul cum Prælati adhibentur. Nam in gubernatione
Præpositi Generalis à tempore 1. congreg. de-
creto 85. adhibetur consilium quatuor assistentium;
in 6. verò congreg. additus est quintus pro Gallia, vt
habetur; tum in decreto 1. eiusdem congreg. tum in
formula congreg. generalis n. 15. & 78. qui Assistentes
à congregatione generali, ex diuersis nationibus si-
mul cum ipso Præposito eliguntur, vt per eos possit
maior lucem de rebus omnibus accipere, & eo-
rum consilio, & prudentia in rebus definiendis vti,
vt videre licet p. 9. Const. c. 4. n. 5. & 6. & in propriis
regulis Assistentium, & in formula eligendi illos.
Provincialibus etiam proprii consultores assignari
debent. Idemq; de inferioribus Prælati localibus,
cum proportionem statuitur p. 9. Const. c. 6. §. 4. & de
Rectoribus in particulari p. 4. c. 10. §. 7. & c. 17. §. 1. De
numero autem eorum solum dicitur vt cōsultores
Rectorum in Collegiis ad minus duo sint, vniuersita-
tatum vero cōsultores ordinari debent esse qua-
tuor: vnde cōstat à fortiori consultores Provincia-
lium quatuor esse debere, & ita vsu receptum est. Imò
in grauioribus domibus professis & grauiorib.
collegiis, idem seruatur. Est autem his omni us Ac-
sistentibus, & consultoribus commune, vt in suis
consiliis solum habeant suffragium consultiuū (nisi
quod de Assistentibus excipitur in cong. 4. decret.
23. & in cong. 5. decret. 16.) & decisio tota, ac iudiciū
rei penes Prælatum respectiue maneat. Ita de Gene-
rali statuitur p. 9. c. 6. §. 11. & de cæteris superioribus
p. 4. c. 17. & p. 9. c. 6. §. vlt. & p. 10. §. 8. generaliter dici-
tur magnopere referre si Præpositi in subditos mul-
tum potestatis habeant. Et in hoc puncto explican-
do consistit tota difficultas præsentis capituli, nam
reliqua clara sunt.

Cur Prælati Societatis soli vendicent definitum
in agendis.

Dubitant enim aliqui, cur Societas tantam pote-
statem generali, & cum proportionem cæteris Præ-
positis tribuat, vt res omnes suo iudicio, & volun-
tate definire possint, etiam contra iudicium suorum
consultorum, si velint. Nam hoc potius est monar-
chia pura, quàm mixta, nisi valde secundū quid, quod
non sufficit ad excludendum periculum, ne monar-
chia in tyrannidem conuertatur: propter quod pe-
riculum in hominibus vitandum monarchia mixta
ex Aristocratiâ præfertur puræ: mixta autem solius
consilij inefficax valde est, tum quia nullus est ty-
rannus adeo iniquus, qui aliquorum consilio non v-
tatur, tum etiam, quia si potestas in vno manet, cu-
ius voluntas sufficit vt factum teneat, etiam con-
tra consilium suorum Assistentium huiusmodi ma-
nent in eodē periculo patiendi plures iniurias. Vnde
de Nauar. Comment. 3. de regularib. dicit, licet mon-
archia pura, secundum se melior sit, tamen propter
concordiam, & alios respectus conuenire, ne Præla-
tus solus gubernet, sed adiutus consilio, & consensu ali-
quorum. Vbi expendo illam particulam consilio, &
consensu, nam per illam significatur suffragium nō so-
lum consultiuum, sed etiam decisivum. Et ratio
est, regimen vnius magis absolutum, etiam in reli-
gionibus, præsertim non mendicantibus, degenerare
in tyrannidem. Et ideo (inquit) in reducta ad mon-
archiam restricta, quia vnius de consensu multorum ad id depo-
natorum gubernat. Vbi iterum de consensu dixit, non
de consilio tantum, quia per consilium solum, non
videtur satis illi periculo occurrere. Facit etiam, quod
antiqui Patres religionum hunc modum regiminis
elegisse videntur, vt intelligi potest ex Basilio in re-
gulis 45. 48. & 54. ex fufioribus, & in 11. ex breui-
oribus, & ex regula Carmelitarum c. 2. & 3. & ex sta-
tutis Carthusianorum p. 2. c. 4. & ex regula mona-
charum c. 7. inter opera Hieronymi tom. 9. Denique
ferè omnes religiones mendicantes hanc formam
regiminis obseruare videntur.

Nihilominus dicendum est, P. N. Ignatii non sine
antiquorum Patrum exemplo, nec sine sufficienti
ratione, hunc modū regiminis elegisse. Probatur, p. 4.
in primis D. Benedictus, in sua regula c. 3. monet qui-
dam Abbatem, vt cum consilio fratrum gubernet, vt
subiungit tamen, in Abbatis pendat arbitrio, vt quid si-
lubrus iudicauerit esse, ei cuncti obediant. Et in c. 65. omnia
constituit in arbitrio, & voluntate Abbatis, quibus
dicat illum vti debere consilio fratrum timentium
Deum. Deinde Basilus idem sentit, h. agere legatur
in citatis locis, nam in regula 48. ex fufioribus pri-
mū ait, Nullo modo quis curiose Antiquis consilia persequat-
ur, aut in eius facta anxie inquirat, his dumtaxat exceptis, qui
cum dignitate gradu, tum consilio prudentio Antiquis pro-
ximis sumunt. Et statim subiungit, Quos qui tenent idem consilio
sibi, quandoque de re aliqua erit deliberandum, in consilio
ac maturam considerationem adhibebit, nimirum præcipuo li-
li obtemperans. Omnia faciam consilio. In quibus verbis
solum consultationem maturam requirit. Et eodē
sensu loqui videtur c. 54. vbi docet esse cogenda ca-
pitula, seu congregationes fratrum, in quibus defe-
ctus corrigantur, & honesti mores laudentur. Quod
videlicet (inquit) adhibita cōplectere multarum sententia, ma-
iore cum auctoritate, qui a medium adductum est, quod
sit, inducet. Non tamen dicit iudicium definitiuum
futurum esse omnium, nec verisimile id est pro sin-
gulis, & ordinariis defectibus religiosorum iudi-
candis. Solum ergo vult, vt in plurium consensu, &
consilio, atque adeo maiori cum auctoritate fiat. In
aliis verò duobus locis non tractat de gubernatio-
ne, sed de electione Prælati, de qua postea, ca. 2. & 3.
dicemus.

dicemus, & de receptione nouitiorum, de qua iam lib. 2. cap. 3. num. 7. diximus, quid peculiariter in hoc obseruet Societas, & cur.

IX. Præterea, D. Augustinus in sua regula, multum defert Præposito, omniaque conſtituit in arbitrio illius, vel presbyteri, maiorem habentis potestatem, vt in superioribus, tract. 8. tractando de Prælati religionum in genere explicuimus. Vnde Nauarrus supra fatetur, Augustinum in sua regula significasse, vt in suis monasteriis monarchia potius quam Aristocratia seruetur: addit tamen hoc fore vtilius, si vnus, qui regit, esset Augustinus, & subditi essent Possidonij. Quia vero Prælati, & subditi multum à moribus Augustini, & Possidonij degenerarunt, ideo aliquid oportuisse illi regulæ addere. Verumtamen in primis ego nõ ita iudico de præsentibus moribus, omnium religionum, & religionum, vt monarchia non possit eis esse vtilissima, etiam ordinaria potestas (seruata proportione) in vno tantum sit, cum regulari obligatione illam exercendi ex prudenti consilio, vt statim dicemus. Deinde, quidquid sit de statu aliarum religionum, certè B. Ignatius, qui nouam religionem instituebat, non debuit modum illum eligere, qui solum ob deprauatos, vel imperfectos mores expedire cõfetur; sed tentare potius debuit perfectiorem modum instaurare, & aliis remedijs prouidere, vt si fieri possit ex tali regimine ea incommoda non sequantur, quæ fortasse in alijs ob incuriam, vel temporum conditionem sequuta sunt.

X. Hanc igitur existimo fuisse rationem, ob quam Ignatius voluit, vt vnusquisque superior Societatis pro ratione, & mensura sui muneris, integram haberet potestatem, solumque consiliarios, non coniudices illi adiunxit. Primo quidem, quia hoc secundum se, & ex genere suo, melius est, vt supra num. 1. ex communi sententia supposuimus: deinde quia in statu religioso sine dubio potest maximè conferre ad perfectionem, tum quia hoc modo purior, & perfectior obedientia exercetur; tum etiam, quia hoc modo, est maior dependentia membrorum à capite, & ita etiam erit maior vnio, qualis inter patrem, & filios esse debet. Tum etiam, quia hoc modo tollitur occasio multiplicandi dignitates tot iudicum, & quasi prælationes in religione, & consequenter etiam minuitur ambitionis occasio. Tum denique, quia si ordinationes, iudicia, & aliæ negotiationum expeditiones, à plurium sententia & voluntate pendeant, multiplicentur pericula schismatum, & diuisionum ac subordinationis, quæ videntur esse maioris momenti, magisque frequentia, quàm sine in pura monarchia temperata solum per consilia sapientum.

XI. Accedit præterea, quòd (vt rectè indicauit Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice, cap. 3.) Aristocratia, non solum miscetur monarchiæ, per hoc quod Princeps non possit definire ea, quæ ad gubernationem pertinent, sine aliorum suffragijs decisiuis, sed per hoc maximè, quòd non per seipsum homo immediatè gubernat, sed per subordinatos Principes, vel Prælatos, in quorum singulis monarchia participatur, ex omnium tamen collectione, quædam participatio Aristocratiæ confurgit. Imò prior illa mistio, suffragantium decisiuè, potius est mutatio quædam regiminis monarchici, nam in effectu non est monarchia, saltem in his quæ pendent ex plurium iudicio, & voluntate: unde si regimen maiori ex parte ita fiat, non poterit dici monarchicum, sed potius Aristocraticum, vel quarta species regiminis, vt Nauarr. illum appellauit. In posteriori autem missionis genere, suffragantium scilicet, cõsultiuè tantum seruetur semper propria & perfecta monarchia, cum vltima resolutio ad vnum pertineat: miscetur autem Aristocratia per gubernationem

Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

nem plurium, ac subordinatorum Principum, ac Prælatorum, quia non est de ratione Aristocratiæ participata, quòd gubernatio fiat à pluribus, vt cõponentibus vnum corpus, seu tribunal, sed satis est vt quacunque ratione integretur ex pluribus, inter se aliquo modo vnitis, & ordinatis ad complectum regimen totius corporis, & ita hoc genus missionis inuenimus in præcipuis temporalibus regnis, maximè verò in Ecclesia Catholica, vt egregiè supra Bellarminus declarat, perfectione talis monarchiæ ostendens. Quomodo autem Societas hanc gubernationem Ecclesiæ, modo religioni accommodato imitetur, satis iam declaratum est in num. 2.

Denique in hoc etiam seruetur similitudo, quòd in Ecclesia, licet Pontifex de consilio Cardinalium grauiora disponat, semper tamen seruetur perfecta monarchia, quia in rigore decisio ex solo Pontifice pendet. Nam licet frequentius fortasse Pontifex, in rebus præsertim grauioribus, non decernat contra plura suffragia Cardinalium, id tamè est ex sua prudentia, & libera voluntate, non ex dependentia, quam habeat ab eorum suffragijs. Episcopi etiam in suis diocesijs habent monarchicum regimen, in quo ordinariè plurium suffragia decisiua non requirunt: ergo etiam in religione poterit commodè hoc regimen participari, cum in illa, & subditorum obedientia debeat esse promptior, & in superioribus suauior quadam, & magis paterna gubernatio. Et præterea, quia religiosi, ex vi sui status tenentur perfecte operari secundum regulam suam; & ideo licet solus superior habeat potestatem decisiuam, vt conuenienter illa vtatur sufficit quòd ex regula habeat obligationem sumendi consilia suorum assistentium, seu consultorum, vt possit prudenter sua potestate vt, ad quod & regula ipsa & recta ratio ipsum obligat.

Dices hoc quidem sufficere quoad vim directiuam (vt sic dicam) non tamen quoad coactiuam, nec quoad impediendum cum effectu ne superior sua potestate abutatur. Respondeo primò idem dici posse, etiam si suffragia consulentium sint decisiua, licet enim videri possit facilius posse vnum errare, quàm plures, tamen aliunde facilius est in religione vnum inuenire, qui ex malitia, vel prauo affectu non erret, ac proinde illi sufficiant prudentia consilia, quàm inuenire plures, qui eiusdem integritatis sint. Deinde dicitur, inferiores Prælatos per prouidentiam suorum superiorum continèdos esse in officio, vt nõ facile pro arbitrio suo vtantur potestate, vel contra eorum consultorum sententiam frequenter disponant, præsertim in rebus grauioribus: Generalis autem Præpositus cum debita reuerentia admonendus est ab eo qui hanc curam à Societate habet commissam. Quòd si hoc non sufficiat, per ipsam Societatem compelli poterit, atque ita moraliter loquendo, satis subuentum est incommodis, vel periculis, quæ ex tali potestate oriri possent. Quod breuiter B. Ignatius in 10 p. Constit. §. 8. his verbis complexus est. Refert etiam magnopere, si Præpositi particulares in sibi subditos, & Generals in particulares (scilicet Præpositos) ac contra Societatem in Generalem multum potestatem habeant, ita vt omnes ad bonum omnia possint, etsi male agerent omnino subiecti sint.

Vnde est notanda hæc differentia, inter hanc monarchiam & Ecclesiasticam, ne similitudo supra adducta putetur æqualitas; cum reuera non sit nisi imitatio, & participatio quædam. Est ergo differentia, quia regimen Ecclesiasticum reducit ad vnum supremum Prælaturum qui non solum alteri homini in terris, verum neque alicui communitati subiectus est. Sed est supra totam Ecclesiam, non solum diuim quoad singulos, sed etiam collectiuè quoad vniuersitatem. At verò in Societate Generalis Præpositus non solum habet superiorem personam, cui

XII.

XIII.

XIV. Interest in terminum monarchia Societatis, & Ecclesiæ.

cui subiectus fit, scilicet Pontificem, quod ex generali ratione religionis Christianae, & ex speciali statu religioso, & ex specialissima Societatis necessarium est, vt ex lib. 6. cap. 4. intelligi potest: sed etiam est subiectus ipsi Societati, à qua & dirigi, & corrigi, & si necesse sit puniri, & deponi potest, vt cap. sequenti num. 7. attingemus. Ratio autem differentie clara est, quia Pontifex non ab Ecclesia, sed à Christo habet immediatè potestatem. Generalis verò habet à Societate, iuxta modum in eius constitutionibus prescriptum, & à summis Pontificibus confirmatum. Vnde etiam oritur diuersa necessitas: nam Pontifex sicut singulari, & excellentiori modo, habet à Deo potestatem, ita etiam habet peculiarem Spiritus sancti assistentiam: quae potest supplere cuiusque superioris directionem, vel coactionem. Alii verò inferiores praelati, sicut ab hominib. constituuntur, & eliguntur, ita conuenienter saltem toti communitati seu congregationi generali subiciuntur.

xv. que ex hac differentia & eius ratione oritur alia, perquam magna ex parte Societatis regimen Aristocraticum participat. Nam in Ecclesia maiores causæ Pontifici summo referuntur, iuxta cap. *Majores*, de Baptismo, & ita eius monarchia inter humanas maxima est, quia proximè accedit ad diuinam. At verò in Societate ea quæ maioris momenti in illa esse possunt, Generali congregationi referuata sunt, iuxta primam Bullam Pauli III. quæ sic habet, *Qui quidem Præpositus de consilio consociorum constitutiones ad constructionem huius præpositi nobis finis conducentes in consilio condendi auctoritate habeat, maiori suffragiorum parte semper statuendi us habente: consilium vero intelligatur esse de rebus quibus maioribus ac perpetuis, maior pars totius Societatis, quæ ad Præposito commode conuocari poterit. Addebantur verò statim sequentia verba, In leuioribus autem, & temporaneis omnes illi (scilicet professi) quos in loco, vbi Præpositus noster residebit, presentes esse contingerit. Tamen in Bulla Iulii III. prior pars multo magis declarata, & posterior immutata est. Nam quoad priorem partem declarat, consilium illud, quoad habet ius statuendi, ad plura suffragia, intelligendum esse de maiori parte Societatis professe (iuxta nostram constitutionum declarationem) quæ sine magno incommodo potest ad Præposito Generali conuocari. Deinde ad hoc consilium pertinere dicitur, condere vel mutare constitutiones, declarare dubia circa institutum orientis, & alia grauiora, vt alienare, vel dissolvere domos ac Collegia semel erecta. Quoad alteram verò partem, subiungit, in aliis, quæ non ita magni momenti sunt, idem Præpositus adiutus quatenus ipse opportunum indicabit, fratrum suorum consilio per seipsum ordinandi, & iubendi quæ ad Dei gloriam, & commune bonum pertinere in Domino videbuntur, ius totum habeat, prout in constitutionibus ipsi explicabitur. Ex quo intelligimus, hanc fuisse vltimam fundatoris cogitationem, ac resolutionem, vt extra ea negotia, quæ generalis congregationis propria sunt, in reliquis omnibus Generalis supremam potestatem habeat: quod latè declarauit p. 8. Constit. c. 4. §. 9. c. 3. p. 10. §. 8. & aliis locis frequenter, vt in sequentibus adnotabo.*

CAPVT II.

*Utrum expediat Generalem Societatis
esse perpetuum.*

I. *Brevia expeditio quo sandam huc attendant*
DE modo creandi Prepositum Generalem in Societate, nihil est quod specialiter dicamus: quia per electionem canonicam fit, ad quam applicari possunt omnia quæ in superioribus tract. s. lib. 2. de electione Prælati regularis dicta sunt. Circumstantiæ autem particulares, quæ iuxta propriam institutionem & formam seruandæ sunt, ex Constitu-

tionibus, & propriis regulis sunt manifesta, nec difficultatem aliquam habent, quam explicare hoc loco necesse sit. De munere autem isto cuiusque potestate generatim constat, partim ex præced. partim ex doctrina communi de huiusmodi praelatione in particulari autem de aliquibus actibus & obligationibus eius iuxta nostrum peculiari institutum dicemus in sequentibus. Solum ergo superius addendum de duratione huius muneris: nō enim delatum quibus magis expedire videatur, vt Generalis non ad vitam, sed ad certum aliquod tempus eligatur. Nam, vt diximus, omne regimen monarchicum homini commixtum in periculo versatur ne tyrannidem vergat: hoc autem periculum maius est, per se loquēdo, quo potestas superioris maior, magisque absoluta fuerit. Si autem huic potestati supremæ, & absolute diuturnitas, & perpetuitas adiungatur, profecto nimum prædictum periculum augebitur: nam ipsa perpetua consuetudo regendi & præcipiendi creat spiritum quandam dominantis, & facere solet vt homo propter infirmitatis oblitus, aliis velit seuerius imperare: ergo immerito Societas hunc modum regiminis elegit.

Nihilominus contrariam partem luadere possumus primo auctoritate B. Ignatii, qui non parum debet quælibet prudentem hominem mouere, tum propter magnam viri prudentiam & sanctitatem, tum propter magnam noticiam, & comprehensionem, quam habuit rerum Societatis: tum quia etiam post magnam considerationem, & diuturnas orationes constitutiones edidit, in quarum p. c. statuit vt Generalis ad vitam eligatur, propter multas rationes, quas ibi attingit, & itatim commemorabimus. Secundo accedit auctoritas totius Societatis, nam in congregatione prima generali, vt patet ex toto decreto 45. cum de successore Ignatii eligendo tractaretur, eadem res in deliberationem adducta est, tum ante, tum post electionem P. Iacobi Laynez secundi Generalis Societatis, semperque iudicium congregationis, nullo suffragio discrepante, fuit Generalem debere esse perpetuum. Atque hanc suam sententiam omnium suffragiis, præter ipsum electum atque vnum vel alterum qui discesserant consignatam ad Paulum IV. Pontif. Maxim. eam postulantem misit. Tertiò (quod caput est) confirmat hoc auctoritas summorum Pontificum. Nam in Bulla S. Pauli III. anni 1549. manifestè præponitur Prepositum debere esse perpetuum, quatenus in principio eius declaratur, in certis casibus posse per Societatem amoueri, & alium loco illius substitui.

Secundo principaliter hoc confirmare possumus
exemplo antiquarum religionum, nam, vt supra
tract. 8. ostendimus, Abbates olim erant perpetui,
estque id consentaneum iuri communi, & sacris ca-
nonibus, & regulæ s. Benedicti modo ibi explicato.
Deinde nunc etiam in multis religiosis Genera-
les perpetui sunt, quauis inferiores Prælati sint
amouibiles, vt in religione Carthusianorum, ac Pre-
dicatorum & Carmelitarum, & suo modo inrelli-
gione Eremitarum S. Augustini, vt explicatum est
in citato tract. 8. c. 7. n. 4. Præterea etiam asserti pos-
sunt exempla de Ecclesiastica monarchia, non so-
lum in vniuersis Ecclesiæ Pontificatus, sed etiam in
particularibus Episcopatibus. Nam ex his omnibus
intelligimus ex se melius esse, vt monarchia perpetua
seu vitalis sit, & consequenter, cæteris paribus,
esse præferendam, etiam in statu religioso, quando
euidencia incommoda in ea non apparent, & que
maiora sint, quam quæ ex sequenti mutatione Pro-
positi Generalis, sequi possunt.

Tertio possumus hoc ratione persuadere. Et pri-
mum afferri possunt oēs, quæ supra citato tractatu
tetigimus generaliter tractando hanc quæstionem.